
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


HARVARDINAE
ET
VE
RI
TAS
CHRISTO
ECCLESIA

8/

JAHRESBERICHT

ÜBER DAS

STÄDTISCHE GYMNASIUM

UND DAS MIT DEMSELBEN VERBUNDENE

REALPROGYMNASIUM

ZU

GREIFSWALD

FÜR DAS


SCHULJAHR 1888—1889.

INHALT:

GREIFSWALD.

DRUCK DER BUCH- UND STEINDRUCKEREI VON F. W. KUNIKE.

1889. — Progr. № 127.


HARVARD COLLEGE
AUG 3 1896
LIBRARY.

Analecta Euripidea.

I.

De interpolationibus Alcestidis.

Wheelerus (de Alcestidis interpolationibus Bonn 1879) Alcestidem multis locis ab interpolatoribus foedatam nobis traditam esse contendit. Quamquam eos criticos falsissimos esse puto, qui omnia, quae sub poetarum antiquorum nomine feruntur, caeca admiratione defendunt et laudant, tamen Wheelerum in interpolationibus indagandis permulta perverse statuisse viris doctis persuadere me posse confido. Delet autem Wheelerus hosce versus v. 10. 16. 27. 30. 31. 58. 59. 66 - 69, 74 - 76, 141—144, 148 et 149. 183, 184. 197--98, 238--243, 380, 81, 526, 27, 719—20, 1061—63, 1104—1107, praeterea non nullos alios versus quos jam alii critici ante eum damnaverant. Plerosque autem ex his locis aut aliter interpretandos esse aut emendandos esse censeo. Qua de causa non inutile fore spero, me viris doctis proponere, quibus de causis hos locos falso Euripidi abjudicatos esse existimem. Atque in retractandis his locis ea moderatione utar, ut eos locos, quos jam ab aliis recte defensos esse persuasum habeo, non iterum disserendos mihi proponam, sed de eis tantum locis agam, quos adhuc nondum refutatos video.

Omissis igitur versibus 10. 16 et 27, quos rectissime stare iam Joh. de Arnim [1]) probabilibus de causis contra Wh. statuit, ordiendum mihi est a. v. 30. 31. In prologo igitur fabulae nostrae Apollo in scaenam prodiens narrat se in domo Admeti regis servum fuisse et ut huic gratiam referret, a Parcis impetravisse, ut Admeto nondum moriendum esset, si alius pro illo morti se offerret; hoc autem omnibus amicis vel etiam patre et matre recusantibus Alcestidem uxorem eius in se suscepisse; hunc esse diem, quo Alcestidi moriendum esset. Postquam haec exposuit, jam abiturus est, cum Orcum appropinquantem videt, qui feminam secum ad inferos ducturus est. Is, ubi Apollinem in scaena conspexit, eum his immitibus verbis increpat v. v. 29—37:

1) Arnim (de prolog. Euripideorum interpolatione et arte Gryph.) 1882. p. 47 et 48.

ἆ ἆ
τί σὺ πρὸς μελάθροις; τί σὺ τῇδε πολεῖς,
Φοῖβ᾽; ἀδικεῖς αὖ τιμὰς ἐνέρων
ἀφοριζόμενος καὶ καταπαύων;
οὐκ ἤρκεσέ σοι μόρον Ἀδμήτου
διακωλῦσαι Μοίρας δολίῳ
σφήλαντι τέχνῃ; νῦν δ᾽ ἐπὶ τῇδ᾽ αὖ
χέρα τοξήρη φρουρεῖς ὁπλίσας,
ἣ τόδ᾽ ὑπέστη πόσιν ἐκλύσασ᾽
αὐτὴ προθανεῖν Πελίου παῖς;

Haec Orci verba ita intellego, ut post. καταπαύων v. 31 et. Πελίου παῖς 37. interrogationis signum ponam. Ita enim interpungendum esse Wheelerus contra Kirchhoffium Prinzium aliosque editores, qui post illa verba punctum ponunt, recte statuisse videtur, cum interrogationes, quas Orcus profert, responsum neque requirant neque patiantur. Quaerit enim: Quid hic vis? Rursus iura inferorum minuere vis? Non tibi satis fuit, ab Admeto mortem prohibuisse? Nunc etiam Alcestidem armatus tueri vis, quae ipsa morti pro marito devoverit? Orcus igitur, conspectu Apollinis, quem sibi inimicissimum, Admeto amicissimum esse haud inscius erat, territus et perturbatus in eum invehitur ira in interrogando magis magisque crescente. Hoc modo in universum omnia bene procedunt; at non sine causa Nauckium [1]) offendunt v. 31 verba ἀφοριζόμενος καὶ καταπαύων; quae expellenda putat, quia notio verbi ἀφορίζεσθαι in hunc locum non quadret At mihi in hoc sententiarum conexu verbum καταπαύων omnino ferri non posse videtur, econtra ἀφοριζόμενος solum Euripideum. Nam quid iam antea Apollo perfecit, quod nunc rursus eum perficere velle suspicatur Orcus? Eo, quod Parcas fefellit, effecit, ne Admetus statim moreretur, sed mors eius in posterius tempus differretur. Itaque non καταπαύει τιμὰς ἐνέρων — id quod tum tantum dici posset, si Apollo effecisset, ut Admeto omnino non moriendum esset — sed ἀφορίζεται τιμὰς ἐνέρων i. e. ut ita dicam, certos fines imponit provinciae deorum inferorum, vel minuit deorum potentiam (er schmälert). Medio autem genere verbi ἀφορίζεσθαι utitur poeta, quod Apollinis permultum interest mortem Alcestidis retardari. Haec huius verbi, quod ceteroquin apud tragicos non usurpatur, notio hoc loco aptissima videtur. Simili modo dicit Isocrates 5, 110 χώραν ἀφορίσασθαι i. e terrae fines imponere vel sibi terram novam subicere, alienorum terram minuere Quae cum ita sint, equidem haec verba καὶ καταπαύων eicienda esse puto, utpote ab aliquo interpretandi causa ad. ἀφοριζόμενος in margine adscripta et postea falso in textum inserta. Quae si recte sunt disputata, multo magis Wheeleri sententia abicienda est, qui Nauckium secutus praeter v. 31 etiam v. 30 tollit; nam enuntiatis illis ἀδικεῖς αὖ et νῦν

1) Euripid Stud. II p. 49 et 50.

δ' ἐπὶ τῇδ' αὖ prorsus eandem sententiam inesse autumat. At falso, nam v. 30 31 in universum tantum indicant quid Apollinem facere velle Orcus putet, contra v. 34 et seqq. sermo est iam de certa persona. Neque necesse est, utrumque enuntiatum, ad medios versus οὐκ ἤρκεσέ σοι κτλ. referatur, ut vult Wheel. immo vero primum enuntiatum ad ea omnia, quae in prologo narrata sunt, quaeque Orco nota fuisse per se patet, referendum est.

Idem Wheelerus p. 14. primus versus 58 et 59 in suspicionem vocavit, quia nihil proferant nisi explicationem v. 57. atque in his duobus versibus omnia languere confitendum sit. Neque prorsus iniuria eum versus offenderunt; nam in versu 59 sic tradito

ὄνοιντ' ἂν οἷς πάρεστι γηραιοὺς θανεῖν.

neque ὄνοιντ', neque ὠνοῖντ', neque ὄναιντ' ἄν, quod Kirchhoffius coniecit et omnes fere receperunt, sensum praebet, quem probare possimus. Quod ut eluceat, considerandum est quo modo in altercatione deorum sententiae procedant. Apollo v. 52. quaesivit: Fieri non potest ut Alc. ad senectutem perveniat? Id Orcus v. 53 negat, cum dicit se quoque honoribus laetari velle. Ad haec Apollo v. 54: Nil refert utrum hoc an posteriore tempore tibi honores tribuantur; nam plus una anima tibi non continget. Id rursus Orcus eo refutat v. 55, quod maiores honores sibi tribui autumat, si iuvenes moriantur. Tum Apollo v. 56: etiamsi Alcestis in senectute morietur, tamen magnifico eum funestri apparatu sepelietur. Hunc versum 56.

κἂν γραῦς ὄληται, πλουσίως ταφήσεται.

de Alcestide intellegendum esse, docet futurum tempus ταφήσεται, id quod iam scholia intellexerunt. Hoc bene Orcus intellexit; sed, cum nihil habeat, quod huic ab Apolline prolatae causae vere opponat, non vult intellegere et sophistarum modo Apollinis verbis alium, quam ille voluerat sensum supponens respondet, quasi ille non de Alcestide sola, sed de qualibet anu locutus esset. Dicit enim v. 57

πρὸς τῶν ἐχόντων, Φοῖβε, τὸν νόμον τίθης

i. e. legem das, quae divitibus tantum utilitati est. Apollo autem his ambagibus perspectis quaerit ex eo v. 58, num subito sophista factus sit. Fieri non potest, ut Orcus idem, quod iam v. 57. exposuit, aliis verbis iterum repetat, quod fit, si pro ὄνοιντ' ἂν cum Kirchhoffio ὄναιντ' ἂν scribimus. Quid hoc loco exstiterit, mea quidem sententia demum ex v. 60 perspicitur, qui sic legitur:

οὔκουν δοκεῖ σοι, τήνδε μοι δοῦναι χάριν.

Hoc in versu mihi summa vis ponenda videtur in verbis οὔκουν δοκεῖ σοι ut sint: non vis igitur hanc gratiam mihi referre? Necesse igitur est, talia antecedant, ex quibus eluceat, Orcum acerrime negare se Apollini gratum non facere velle. Itaque mihi suspicio nata, Euripidem scripsisse ὄλοιντο γ' οἷς πάρεστι γηραιοὺς θανεῖν. Orcus igitur, ubi vidit cau-

sas, quas protulit Apollini adeo non persuasisse, ut se ludibrio habeat, se eos detestari profitetur, quibus in senectute mori concessum sit.

Pari confidentia Wheelerus damnavit v. 66—69 et 74—76. Primum autem videamus Apollinis verba 64—69.

ἦ μὴν σὺ πείσει καίπερ ὠμὸς ὢν ἄγαν
τοῖος Φέρητος εἶσι πρὸς δόμους ἀνὴρ
Εὐρυσθέως πέμψαντος ἵππειον μέτα
ὄχημα Θρῄκης ἐκ τόπων δυσχειμέρων
ὃς δὴ ξενωθεὶς τοῖσδ᾽ ἐν Ἀδμήτου δόμοις
βίᾳ γυναῖκα τήνδε σ᾽ ἐξαιρήσεται.

Hos versus, ex quibus duos primos tantum Euripideos esse contendit Wh., ad totam fabulae actionem maxime necessarios esse vix est, quod moneam. Nam „illa, quae huius fabulae propria est, permixtio iocosorum et tristium offenderet, nisi ex prologo sciremus exitum felicem fore“ (Arnim. de prol. Eur. interp. et arte). An putas solis illis duobus relictis a Wh. versibus Atheniensibus persuaderi potuisse Alcestidem servatum iri? Porro aliud. Apollo, postquam frustra precibus et rationibus Orcum ad misericordiam commovere conatus est, ira commotus minando Orcum coepto deterrere vult. Putasne fieri potuisse, ut Euripides Apollinem nihil aliud minantem fecerit, nisi: talis vir in domum Pherotis veniet! Pueri timidi talibus minis terreri solent, non dei potentes! Itaque hac rerum futurarum vaticinatione nos carere non posse omnibus persuasum esse confido. Attamen uno loco tradita scriptura mihi mutanda videtur, quamquam id unum, quod Whel. neminem defendere posse iactat, rectissime stat, dico collocationem praepositionis μέτα v. 66. Nam praepositionis ita positae, ut hoc loco, ut vocabulum, quod regit praepositio, altero demum versu sequatur, haec ex Euripide exscripsi exempla: Electr. 617

ὑψηλῶν δ᾽ ἔπι
ναῶν τέθεικε σκῦλα πλεῖστα βαρβάρων.

Andr. 887.

δοκεῖ μοι ξυγγενοῦς μαθεῖν πέρι
γυναικός, εἰ ζῇ κεὐτυχοῦσα τυγχάνει.

Jon. 262. 63.

ὦ κλεινὸν οἰκοῦσ᾽ ἄστυ, γενναίων τ᾽ απο
τραφεῖσα πατέρων, ὥς σε θαυμάζω, γύναι.

Cyclop. 283.

οἵτινες μιᾶς χάριν
γυναικὸς ἐξεπλεύσατ᾽ εἰς γαῖαν Φρυγῶν.

Heraclid. 234.

ὥστ᾽ Ἀτλαντικῶν πέρα
φεύγειν ὅρων ἂν δειλίᾳ τοὐμὸν δόρυ.

Andr. 149. 50.

οὐ τῶν Ἀχιλλέως οὐδὲ Πηλέως ἄπο
δόμων ἀπαρχὰς δεῦρ' ἔχους' ἀφικόμην.

Hoc loco non Πηλέως solum cum ἄπο coniungendum est, sed sic intellegendum: οὐκ ἀπο τῶν Ἀχιλλέως οὐδὲ ἀπὸ τῶν Πηλέως δόμων, ita, ut genetivi pro adiectivis usurpentur. Fortasse huc referendus est locus Rhesi mihi quidem dubius v. 397 et 98.

πάλαι, πάλαι χρῆν τῇδε συγκάμνειν χθονὶ
ἐλθόντα καὶ μὴ τοὐπὶ σ' Ἀργείων ὕπο
Τροίαν ἐᾶσαι πολεμίων πεσεῖν δορὶ (?).

His exemplis propositis nostro loco illud ἵππειον μέτα ‖ ὄχημα nihil habet offensionis. Me magis offendit v. 65 τοῖος utpote quod nimis longe a correlativo separatum sit. Propono scribendum ἄλλος Φέρητος εἶσι πρὸς δόμους ἀνὴρ Apollo igitur dicit: Tu concedes, quod negas, quamvis crudelis sis, alius veniet, et tibi hanc feminam eripiet. Neque ab omni dubitatione excepta videntur verba γυναῖκα τήνδε v. 69, cum femina neque in scaena adsit, neque paulo ante nominata sit, ut eo pronomen τήνδε revocare possimus. Fortasse scribendum erit, τοῦδε, quod ad Admetum proximo versu commemoratum revocandum esset. Hoc autem loco non praetereundum mihi esse videtur, quod primus Jennius (progr. v. Frauenfeld, 1868) statuit, versum 509 Hecubae Ἀγαμέμνονος πέμψαντος ὦ γύναι, μέτα ineptum et confictum esse ex v. 66 nostrae fabulae. Certe hoc multo probabilius est, quam id, quod Whel. statuit, nostros versus ex Alcestidis versibus 481, 483 fictos esse. Si illud verum est, certe nostri versus genuini sunt.

Iam ad responsum Orci accedamus v. 72—76, qui audiunt:

πόλλ' ἂν σὺ λέξας οὐδὲν ἂν πλέον λάβοις
ἡ δ' οὖν γυνὴ κάτεισιν εἰς Ἅιδου δόμους.
στείχω δ' ἐπ' αὐτὴν ὡς κατάρξωμαι ξίφει.
ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν
ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσῃ τρίχα.

Ex his versibus tres ultimos 74 - 76 Wh. interpolatos esse existimat. Unam tantum causam sententiae suae affert; putat enim illud κατάρχεσθαι, quod hoc loco Orcum facere volentem Euripides inducit, pugnare cum ceteris fabulae locis; nam in media prima extrema fabula poetam voluisse id unum Orci officium esse Alcestidem sub terram ducere (cf. 25 et 259 seqq.) in hoc uno loco officium Orci prorsus aliud esse videri. Recte quidem dicit Wh. Orcum adesse, ut Alcestidem ad inferos ducat; sed, ut hoc fieri possit, necesse est ut femina deis inferis consecretur, id quod poeta Orcum eadem caerimonia facere volentem inducit, qua in omnibus sacris sollemnibus uti solebant Graeci, sc. criminibus secandis. Neque poetam vituperare possemus, si hanc caerimoniam facturam esse modo praedixisset, ut nostro loco fit. At habemus certissimum documentum, cur hoc re vera factum esse putandum sit, quamvis nor [illegible] c facientem Orcum inducat

poeta. Legas, quaeso, quae in exstrema fabula Hercules Admeto dicit miranti, cur Alcestis prorsus taceat v. 1144—46

οὔπω θέμις σοι τῆσδε προςφωνημάτων
κλύειν, πρὶν ἂν θεοῖσι τοῖσι νερτέροις
ἀφαγνίσηται καὶ τρίτον μόλῃ φάος.

Hoc ἀφαγνίσηται redit sine dubio ad illa nostri loci verba v. 76 ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσῃ τρίχα. Praeterea alio loco poeta Alcestidem ab Orco consecratam esse aperte indicare videtur. Velim recorderis illius scaenae, qua Alcestis moribunda domo prodit et solem terramque patriam ultimum salutat, qua Charonem ad eam traiciendam paratam et hortantem ut festinet, spectare sibi videtur, qua porro Orcum volucrem iam sibi manus inicientem, ut abducat, sentire sibi videtur. Alcestis perterrita exclamat v. 259 et sqq.

ἄγει μ' ἄγει μέ τις οὐχ ὁρᾷς;
νεκύων ἐς αὐλὰν
ὑπ' ὀφρύσι κυαναυγέσι βλέπων πτερωτὸς Ἀΐδας.
μέθες με. τί ῥέξεις; ἄφες. οἵαν
ὁδὸν ἁ δειλαιοτάτα προβαίνω.

Mihi quidem v. 284 illud verbum ῥέξεις non sine causa positum esse videtur, quia saepissime habet notionem sacrificandi. Usus est hoc verbo, quia Orcum sacerdotem mortuorum (cf. v. 25) finxit. Utrumque igitur officium Orci erat, et feminam secandis criminibus consecrare et ad inferos ducere. At fortasse multus sum in re aperta praesertim cum hanc Orci gladium stringentis, nigris alis praediti figuram saepius artifices pingendam sibi proposuisse omnibus notum sit, quam figuram ex Euripide sumpsisse consentaneum est. Ea, quae praeterea de praepositionis κατὰ usu disseruit, ipse huius loci auctoritatem non infringere confitetur.

Neque minore audacia versus 141—145 et. 148 et 49. tollendos proponit. Illi versus in codicibus sic leguntur:

Θερ. καὶ ζῶσαν εἰπεῖν καὶ θανοῦσαν ἔστι σοι.
Χορ. καὶ πῶς ἂν αὐτὸς κατθάνοι τε καὶ βλέποι;
Θε. ἤδη προνωπής ἐστι καὶ ψυχορραγεῖ.
Χορ. ὦ τλῆμον, οἵας οἷος ὢν ἁμαρτάνεις.
Θερ. οὔπω τόδ' οἶδε δεσπότης, πρὶν ἂν πάθῃ
Χος. ἐλπὶς μὲν οὐκετ' ἔστι σώζεσθαι βίον;
Θερ. Πεπρωμένη γὰρ ἡμέρα βιάζεται.
Χορ. οὐκοῦν ἐπ' αὐτῇ πράσσεται τὰ σύμφορα;
Θερ. κόσμος γ' ἕτοιμος, ᾧ σφε συνθάψει πόσις.
Χορ. ἴστω νυν εὐκλεής γε κατθανουμένη
γυνή τ' ἀρίστη τῶν ὑφ' ἡλίῳ μακρῷ.

Atque primum quaerit, quid sibi velit illud μὲν v. 146 et hanc voculam in hac chori

interrogatione tolerabilem esse confidentissime negat, indicium potius esse famulam hoc versu initium respondendi ad interrogationem chori v. 139 et 40 fecisse; at haec offensio nulla est; nam particula μὲν non sequente δὲ, ut nostro loco ponitur in interrogatione hominis non dubitantis, sed de eo, quod quaerit, persuasi. cf. Eurip. Hippol. 316.

ἁγνὰς μὲν, ὦ παῖ, χεῖρας αἵματος φέρεις;

Med. 676.

θέμις μὲν ἡμᾶς χρησμὸν εἰδέναι θεοῦ;

Hel. 1226.

ὀρθῶς μὲν ἥδε συμφορὰ δακρύεται;

Jon. 520.

εὖ φρονεῖς μὲν;

Med. 1129.

τί φῄς; φρονεῖς μὲν ὀρθὰ κοὐ μαίνει, γύναι;

cf. praeterea Arist. Aves 1214 ὑγιαίνεις μὲν; et Platon. Charm. p. 155 C: Παρεγένου μὲν, ἦ δ' ὅς, τῇ μάχῃ; Παρεγενόμην. Menon. p. 82 B: Ἕλλην μέν ἐστι καὶ ἑλληνίζει; Per se patet, ad tales interrogationes nihil aliud responderi posse, quam ea, quae quaeruntur, recte se habere. Id nostro loco versu 147 fit; nam quaerit chorus: spes jam non est, vitam Alcestidis servari posse? Famula respondet: nulla spes est; nam hic dies est, quo Alcestidi moriendum est. Nihil igitur est, cur hi versus nos offendant. Atque hac re perspecta jam actum est de sententia, quam de hoc loco Wheelerus protulit. Porro v. 141, 42 eicit, quia ad similem Herculis de Alcestide interrogationem simile dat responsum Admetus v. 518–521. Illos Admeti versus genuinos esse vel etiam Wheelerus perspexit; est enim luce clarius ex eo, quod Admetus ipse profitetur, se mentitum esse uxorem suam nondum mortuam esse, ne Hercules ad alium hospitem abeat (cf. 563 seqq.). Sed quid hoc refert ad nostros duos versus damnandos? Nam quod famula nostro loco respondet, verissimum est. Quaerenti enim choro vivatne an iam mortua sit Alcestis, respondet famula eam et viventem et mortuam dici posse, quem statum Alcestidis postea longa oratione describit. In versu proximo haeret in verbo προνωπής; neque iniuria; nam προνωπής non significare potest eum, qui pronus ad mortem est, id quod etiam scholiasta vult, qui interpretatur, τὴν προπεπτωκυῖαν εἰς θάνατον, sed significat tantum eum, qui pronus est. Sed hac de causa non totus versus cum Wheelero delendus est, sed emendandus; atque, si conferes alium locum Andr. 729, ἄγαν προνωπὴς ἐς τὸ λοιδορεῖν φέρει summa cum probabilitate amplecteris hanc, quam propono, emendationem: ἤδη προνωπής ἐστιν ἐς ψυχορραγεῖν i. e. iam prona ad mortem est. Proximos duos versus 144, 45 bonum sententiarum conexum, qui inter v. 143 et 146 est, turbare et hoc loco ferri non posse Müllerus [1]) mihi evicisse videtur. His remotis omnia bene procedunt: Choro quaerenti famula respondet Alcestidem

1) Müllerus: Kritische Bemerkungen zu Euripides (Prog. v. Burg. 1876. p. 6).

talem esse, ut eam viventem et mortuam nominare possis. Chor.: Qui fieri potest, ut idem et vivat et mortua sit? Fam.: Jam prona ad mortem est. Chor.: Nulla iam spes est, vitam eius servari posse? Fam.: Nulla est; nam hoc die Alcestidi moriendum est. Restat, ut de Muelleri coniectura versus 144. 45 post 149 translocandos esse, quid sentiam proferam. Atque concedo hanc Muelleri sententiam mihi primo obtutu valde arrisisse; sed probari nequit, quia falso v. 145 interpretatur. Dicit enim illum significare, Admetum non prius intellecturum esse, qualis sit Alcestis, quam illa mortua sit. At hic sensus inesse non potest, quia illa verba οἵας οἷος ὢν ἁμαρτάνεις non referri possunt ad μάθῃ. Significat igitur nihil aliud, quam Admetum mortem uxoris non prius scire, quam illa re vera mortua sit. Hoc autem cum omnibus ceteris fabulae locis pugnare unicuique concedendum est (cf. 420. 21. 201—203). Qua de causa hi duo versus 144, 45 summo iure mihi suspectissimi videntur, quamquam emendando eis nos mederi posse negare non ausim. Sed nihil habeo, quod non sine specie veri proferre possim. Versus 148 et 149 sine ulla causa eiecit.

Versus 183, 84:

κυνεῖ δὲ προσπίτνουσα, πᾶν δὲ δέμνιον
ὀφθαλμοτέγκτῳ δεύεται πλημμυρίδι.

Wheelerus interpolatori tribuit, quem formae varietate satis mirabili curavisse iactat, ne quis videret horum versuum ipsam rem eandem esse, quam plane descripserat poeta v. 175 et 176:

κἄπειτα θάλαμον εἰσπεσοῦσα καὶ λέχος
ἐνταῦθα δὴ 'δάκρυσε καὶ λέγει τάδε.

Vix opus videtur multis verbis hanc suspicionem refutare, quae hanc scaenam egregiam turpissime foedat. Satis erit, sententiarum conexum explicuisse. Quid facit Alcestis? Postquam recentibus vestibus induta ante aram Vestae oravit, ne liberos suos desereret, etiam reliquas aras, quae in domo Admeti sunt, adit, singulas myrteis ramis ornat, ante singulas preces facit, at haec omnia nullo gemitu edito, nullis lacrimis effusis, colore oris non mutato. Ubi autem cubiculum lectumque intravit, tum l a c r i m a r e c o e p i t, — noli enim neglegere tempus aoristum ἐδάκρυσε, quo ad actionem incipientem vel ingredientem significandam Graeci uti solent, id quod Wheelerus prorsus neglexit — lectumque alloquitur. Postquam verba facere desiit, lectum osculatur multisque lacrimis rigat. Prorsus igitur alia res est, quae v. 183, 84 et v. 175 et 176 describitur. Tantum igitur abest, ut illis duobus versibus carere possimus ut, eiectis illis versibus v. 185 ἐπεὶ δὲ δακρύων πολλῶν εἶχεν κόρον post 'δάκρυσε solum omni probabili sensu destitutus sit. Ad verba θάλαμον εἰσπεσοῦσα καὶ λέχος, quae fortasse scrupulum movere possunt, velim conferas, quae Helena 696 de se dicit: ὅτε μέλαθρα λέχεα τ' ἔλιπον.

Famula narrationem suam his tribus versibus finit 196—198

τοιαῦτ' ἐν οἴκοις ἐστὶν Ἀδμήτου κακά·
καὶ κατθανών τ' ἂν ὤλετ', ἐκφυγὼν δ' ἔχει
τοσοῦτον ἄλγος, οὔποθ' οὗ λελήσεται.

Wheelero suspecti videntur v. 197 et 198; at eis suspecti non videbuntur, qui meminerint illius Graecae linguae consuetudinis, qua poetae longioribus orationibus in fine sententiam addere solent. Hoc semper fieri in nuntiorum narrationibus facile videmus, quibus hanc huius famulae narrationem simillimam esse negare non possumus. At mihi, ut melius perspiciamus duos illos versus cum eis, quae antecedunt, arto vinculo cohaerere, scribendum v. 196 pro Ἀδμήτου esse videtur Ἀδμήτῳ. Si deessent illi versus, minus placeret, repetitum verbum Ἄδμητος in v. 199. post Ἀδμήτου in v. 196. Postquam igitur famula narrationem finivit adiunxitque Admeto domi tanta mala esse, ut eorum nunquam oblivisci possit i. e. postquam famula suum de Admeti miseria iudicium pronuntiavit, chorus quaerit v. 199 et 200.

ἦ που στενάζει τοισίδ' Ἄδμητος κακοῖς
[ἐσθλῆς γυναικός, εἰ στερηθῆναί γε χρή;]

i. e. queriturne Admetus de hac calamitate? Mea quidem sententia dubium non esse potest, quin verba τοισίδε κακοῖς revocandae sint ad ea omnia, quae antea famula narravit quae in fine versu 196 τοιαῦτ' ἐν οἴκοις ἐστὶν Ἀδμήτῳ κακά complexa est. Non igitur egent haec verba accuratiore explicatione qualis, in v. 200 additur, sed per se plane perspicua sunt. Sive in v. 200 scribimus εἰ στερηθῆναί γε χρή quod omnino ferri non potest, sive scribimus ἧς στερηθῆναι σφε χρή valde suspecta esse debent haec verba, atque id eo magis, quod ea famulae verba, quae choro quaerenti ἦ που στενάζει respondet, κλαίει γ' ἄκοιτιν v. 201· nullis interiectis verbis statim sequi debere demonstratur adiecta illa particula γε [1]). Est interpolatio eiusdem generis, quales Wilamowitzius Anal. p. 205 plures congessit.

Postquam famula domum intravit, chorus carmen canit, quod finit compluribus anapaestis v. 238—243, quos Euripidi abiudicandos esse Wheelerus dicit. Putat enim hos versus neque cum eis, quae antecedunt, neque cum eis, quae sequuntur, ullo vinculo cohaerere. Nam misericordiam iam antea usque ad v. 236 chorum plenissime expressisse. At minime res ita se habet; immo vero sententia, quae his anapaestis inest, cum ipso carmine coniunctissima est. Nam his anaepaestis misericordiam suam prae se ferre non vult; id antea fecit, cum dixit Admetum summa miseria opprimi eo, quod feminam dilectissimam perderet, cum populum adhortatus est, ut hanc huius mulieris optimae miseriam deploraret (cf. v. 225—237); sed aperire vult, quid ex hac re discendum vel concludendum sit, sc. neminem hanc calamitatem intuentem postea affirmare posse nuptias hominibus

1) Ad hunc usum huius particulae γε sententiam vel singulum vocabulum aut affirmantis aut corrigentis cf. Alc. 149, 50 (κόσμος γ' ἕτοιμος). Andr. 1588 et 89 (ψαῦσόν γ') 911 et 12 (φόνον γε) 813 et 14 (γέρων γε) 915 e. 16 (πατήρ γε) 917 et 18 (αἰδοῖ γε). Bach 505 (δεῖν γε) 970. (τρυφάς γε τοιάσδε). Sic recte Hecuba 774 (τίνος γ' ὑπ' ἄλλου). cf. 905 et 10^4 et multos alios locos.

plus laetitiae, quam tristitiae afferre. Neque video, cur hoc non coram Alcestide nondum mortua dicere potuerit, cum Alcestis sibi hoc die moriendum esse haud ignoraret. Quodsi versus anapaestos sententiis et cogitatis aptos esse negat, sufficiet eum admonere anapaestorum in Hippolyto 175—195 et Med. 1083 et seqq. exstantium Denique quodsi hos versus ex alia fabula in nostrum locum translatos esse arbitratur, non est verendum, ne cuiquam hoc persuadeat; nam verba ὅστις ἀρίστης ἀπλακὼν ἀλόχου τῆς δ' ἀβίωτον τὸν ἔπειτα χρόνον βιοτεύσει de nullo melius dici possunt, quam de Admeto uxoreque eius pro illo moriente. Itaque nulla est causa, cur hos anapaestos in suspicionem vocemus; at non reticere possum aliud, quod mihi scrupulum movit. Alcestis enim et Admetus, qui v. 244 in scaena adsunt, v. 238 a choro indicantur, ut fieri solet. Wilamowitzius autem Anal. Eur. p. 203 hoc monet: Aut persona se ipsa nominat plerisque primum versibus aut ab aliis sive choro sive actoribus antequam vel dum procedit, nominatur; chorus uti solet iambis, rarius tamen anapaestis nunquam melicis versibus (quod Sophocles admittit El. 1429; Phil. 202) et seqq. Contra hunc constantem usum pugnant nostrae fabulae v. 233 et 34: ἰδοὺ ἰδού. ἥδ' ἐκ δόμων δὴ καὶ πόσις πορεύεται. Sunt sane iambi, at iambi melici responsioni obnoxii. Ceteris locis, quibus Euripides iambis ad personas indicandas utitur, hi iambi semper extra responsionem post finita carmina addi solent. Potes fortasse nostri loci excusationem inde repetere, quod Alcestis inter fabulas aetate prima est, ut Apollo, qui prologum recitat, se non ipse nominat, id quod faciunt ceteri dei prologum recitantes. Potest quoque suspicio nasci, verba illa non suo loco stare et huc inserta esse ab aliquo, qui id, quod chorus in versibus, qui antecedunt, v. 231. 32

τὰν γὰρ οὐ φίλαν, ἀλλὰ φιλτάταν
γυναῖκα κατθανοῦσαν εἰν ἄματι τῷδ' ἐπόψει.

praedixerat, etiam eodem temporis momento evenire debere putabat.

Alcestis maritum suum hortatus liberos ei educandos et custodiendos tradit. Quo facto hic inter Alcestidem et Admetum dialogus exsistit v. 379—382.

Αλκ: ὦ τέκν', ὅτε ζῆν χρῆν μ' ἀπέρχομαι κάτω.
Αδμ: οἴμοι, τί δράσω δῆτα σοῦ μονούμενος;
Αλκ: χρόνος μαλάξει σ'· οὐδέν ἐσθ' ὁ κατθανών.
Αδμ: ἄγου με σὺν σοὶ πρὸς θεῶν, ἄγου κάτω.

Versus 380 et 381 Wheelerus expellit; nulla enim causa addita iactat necesse esse versus 381 statim 379 sequatur. Deinde sententiam versus 381 personae Alcestidis, quae summis precibus maritum oraverit, ut memoriam suam coleret, aptam esse negat. At id ipsum, quod de Alcestide dicit, Wheelerum docere debuit, versus illos rectissime stare. Praeclara illa oratione (v. 286—326) Alcestis maritum orat atque rogat, ut se pio animo coleret, neve novercam ducat, quae liberos ex se natos male tractet. Hoc certe Alcestis a marito non petivisset, nisi sibi persuasum fuisset, Admetum se facile ac celeriter oblitorum esse Quid igitur miramur Alcestidem paulo post nostro loco coniugem que-

rentem, quid uxore amissa faciat, repudiare, cum dicat tempus dolorem suum mitigaturum esse? Quid? haec Alcestidis verba ex eadem eius mentis condicione promanasse, qua coniugem, ne se mortuam contemneret, precata est, nonne optimo iure putabimus? Timet igitur liberis eorumque felicitati atque hoc timore permota se iniustam et acerbam praebet in maritum vel etiam tum, postquam ille omnia, quae petivit, facturum se esse affirmavit. Atque hac in re poeta mihi laudandus videtur, quod feminam non omni ex parte admiratione dignam, sed ut ceteros mortales vitio quodam affectam finxit. Versus 526. 27

Ηρ: ἆ; μὴ πρόκλαι' ἄκοιτιν, εἰς τότ' ἀναβαλοῦ [1])
Αδμ.: τέθνηχ' ὁ μέλλων κοὐκέτ' ἔσθ' ὁ κατθανών.

spurios esse Wheelerus autumat; nam sensum versus 526 satis dilucide iam v. 528

χωρὶς τό τ' εἶναι καὶ τὸ μὴ νομίζεται.

expressum esse contendit; at hoc falsum est; nam v. 526 Hercules Admetum adhortatur, ne uxorem ante mortem deploret, at v. 528 dicit aliud esse vivere, aliud non vivere. Sensus igitur duorum versuum plane diversus est. Praeterea offendit eum particula ἆ. quam a tragicis usurpatam esse dicit, ut exprimerent sensum animi gravissime commoti aut vehementer admirantis vel indignantis aut metu vel horrore attoniti. Hoc in universum recte disputasse videtur; attamen loci inveniuntur, quibus etiam ab hominibus minus commotis usurpatur cf. Bacch. 840.

ἆ
βούλει σφ' ἐν ὄρεσιν συγκαθημένας ἰδεῖν;

---

1) Nauck Euripid. Studien II p. 64 pro ἀναβαλοῦ scribendum censet ἀμβαλοῦ, quod minime verisimile esse putat Euripidem in quinto pede senarii iambici solutionem admisisse; at hanc solutionem saepius admissam videmus imprimis in praepositionibus διὰ περὶ; haec sunt exempla: Orestes 518 ἀνοσίους 1605 φιλοπάτωρ. Troades 1170 μακάριον. 996 Μενελέω. Phoenissae 494 περιπλοκὰς 509 ἀπολέσας. 1078 περιβολαὶ Jon. 1001 νεογόνῳ 1541 λεγόμενος. Cyclops 677 κατέκλυσε 348 ἀνοσίου. 240 καταβαλεῖν 173 ἀμαθίαν. Iphigen. Taur. 23 ἀναφέρων 985 Πελοπίδων. Iphigen. Aul. 632 περιβαλῶ 844 τὰ παρὰ σοῦ 1247 δύο φίλω 1414 διὰ μάχης Hercules 632 διάφεροι. 182 βασιλέων 76 διαφέρω. Electra 616 δορυφόρω. Helena. 123 Μενελέως 511. βασιλέα. 888. διολέσω 999 τρεπόμενος 1054 ἀνόσιον. 1066 εὐαλίους 1546 κενοταφεῖ. Bacchae 272 διαγιλᾷς, 322 idem. 484 διάφοροι 752 πολέμιοι. 1051 διάβροχον 1247 παρακαλεῖς 1260 διὰ τέλους. Hecuba 1284 ἀναμένει. idem Androm. 444. Alcestis 526 ἀναβαλοῦ. Id tantum dici potest. solutionem in prioris temporis fabulis minus saepe adhibitam esse, quam in posterioribus fabulis. Sed aliud observandum est, in quinto pede apud Euripidem syllabas solutas semper initium novi verbi efficere. Iphig. Aul. 844 τὰ παρὰ σοῦ eo excusantur, quod haec verba tam arcte cohaerent, ut unum fere verbum efficiant. Hac cum regula pugnat unus versus Cyclopis 597, qui finitur verbis: τὸν πατέρα παθεῖν, at utpote in fabula satirica, quae ad comoediae libertatem etiam in metricis rebus inclinat, ut demonstrari potest, minime mutandus. Contra Aeschylus arsin quinti pedis ita solvit, ut syllabae solutae et initium et finem verbi efficere possint: Eumenid. 40 θεομυσῆ. Supplices 259 τάδε κρατῶ Pers. 448 φιλόχορος 492 Μακεδόνων 501 διὰ πόρον (?) Prom. 52 περιβαλεῖν, at Supplic. 388 ἐγγύτατα γένους Eum. 480 ἀμφότερα μένειν (?) 797 μαρτύρια παρῆν. Neque aliter res apud Sophoclem est: Aias 459. πεδία τάδε, Electr. 326 ἐντάφια χεροῖν Antigon. 418 οὐράνιον ἄχος. Oed. Rex 1496 τὸν πατέρα πατὴρ, at Oed. Rex 1505 περιίδης 967 ὁ δὲ θανὼν Philoctet 130? πολέμιον et. 1327 ἀκαλυφῆ. Videtur igitur Euripides in his metricis minutiis constantior fuisse, quam Aeschylus et Sophocles. Veteres iambographi quinti pedis solutionem omnino non admiserunt; nam quae aqud. Sem. 7, 43 et 102 (Bergk. p. 449 t. 52) leguntur, nihil docent, quia illas formas contrahendas esse facile putamus.

et alium locum Helen. 445, quem sine ulla causa ut suspectum notavit, nostro loco simillimum,

ἆ· μὴ προσείλει χεῖρα, μηδ' ὤθει βίᾳ.

Sed etiamsi interiectio non vera esset, non eiciendus, sed emendandus esset versus; nam hoc versu carere non possumus; aptissime enim respondet v. 526 versui 525. Postquam enim 523 Hercules professus est, se scire Alcestidem pro marito mori devovisse et v. 524 Admetus quaesivit quo modo eam, cum hoc devoverit, viventem nominare possit, fieri non poterat, quin is, qui respondebat, uxoris mentionem faceret. Itaque aptissimum est, si Hercules Admetum illam non prius deplorare iubet quam mortua sit. Proximi versus 527 et 528 mihi suspecti videntur; repetunt enim inutili et molesto modo, quod in versibus antecedentibus v. 525 et 526 iam clarius et melius dictum est. Econtra v. 529.

σὺ τῇδε κρίνεις, Ἡράκλεις, κείνῃ δ' ἐγώ.

apte respondet adhortationi, quam Hercules v. 526 protulit. Profitetur enim Admetus, se hac in re ab hospite dissentire.

In dialogo, qui sequitur praeclaram illam inter Admetum et patrem Pheretem scaenam Wheelerus duos versus 719 et 720. delendos putat, quia versus 718 et 721 disiungi non possent, nisi omni nexu verbum ὄνειδος v. 721 privari vellemus. Quod si verum esset, Admetus v. 721. patri idem opprobrio daret, quod iam v. 717 dedit. Porro optimo iure verbum ὄνειδος v. 721 ad v. 720 referre possumus. An ignominiam non esse putabimus id quod Pheres filio suadet, ut multas feminas uxores ducat, ut etiam plures pro eo moriantur? Miror quod ne uno quidem verbo Nauckii sententiam attigit Wheelerus, qui propter verbum ἀρχῇ v. 714 eo loco, ubi nunc exstat, ineptum versus 714 et 715 post 719 transponendos esse proponit. Huius argumentationem, quam adhuc nemo, quantum scio refellit, certe Wheelerus refutare debebat, si suam coniecturam probabilem reddere volebat.

Restat, ut de duobus locis Alcestidis a Wheelero primo eiectis verba faciam. In extrema scaena, in qua Hercules Alcestidem velatam reducit et ab Admeto petit, ut feminam in suam domum recipiat, Admetus longiore oratione se hoc facturum esse negat. In hac oratione exstant hi versus 1057—1067.

διπλῆν φοβοῦμαι μέμψιν, ἔκ τε δημοτῶν,
μή τις μ' ἐλέγχῃ τὴν ἐμὴν εὐεργέτιν
προδόντ' ἐν ἄλλοις δεμνίοις πίτνειν νέας
καὶ τῆς θανούσης· ἀξία δέ μοι σέβειν,
πολλὴν πρόνοιαν δεῖ μ' ἔχειν. σὺ δ', ὦ γύναι,
ἥτις ποτ' εἶ σύ, ταὔτ' ἔχουσ' Ἀλκήστιδι
μορφῆς μέτρ' ἴσθι καὶ προσῄξαι δέμας
οἴμοι. κόμιζε πρὸς θεῶν ἐξ ὀμμάτων

γυναῖκα τήνδε, μή μ' ἕλῃς ἡρημένον.
δοκῶ γὰρ αὐτὴν εἰσορῶν γυναῖχ' ὁρᾶν
ἐμήν.

Wheelerus versus 1061—1063 spurios esse censet. Hanc autem causam profert, quod ferri non possit causam exclamationis Admoti, quae inest v. 1064 et 1065, bis afferri et ante exclamationem versibus 1061 - 1063 et post exclamationem versibus 1066 et 1067. Additos autem versus, putat ab aliquo, qui desideraret, unde penderet genetivus τῆς θανούσης. At hi versus mea quidem sententia deesse non possunt. Nam quo modo fieri potest, ut his versibus eiectis Admetus dicat, se hanc feminam adspicientem uxorem suam agnoscere sibi videri? Hoc certe eis, qui audiebant, valde mirum esse debebat. Nam iam diu illa adest, iam diu Admetus eam contemplatus est et iam vidit feminam adhuc iuvenilem esse cf. 1050 νέα γάρ, ὡς ἐσθῆτι καὶ κόσμῳ πρέπει. Permirum igitur videri debuit eis, qui audiebant, si nulla causa interposita subito eum exclamantem audiebant, se uxorem suam agnoscere sibi videri. Quomodo autem hoc fieri potuerit, poeta necessario indicare debuit idque ea re effecisse mihi videtur, quod Admetum mulierem uxori suae simillimam sibi videri dicentem inducit. Attamen in versu 1060 vitium inesse mihi videtur; dubium enim esse non potest, qui καὶ τῆς θανούσης cum antecedentibus verbis v. 1057 ἔκ τε δημοτῶν coniungi debeat ita, ut hic sensus evadat: timeo ne me, si illam recipiam, vituperent et cives mei et uxor ipsa mortua; neque minus dubium esse potest, quin verba πολλὴν προνοίαν δεῖ μ' ἔχειν per se sola sensum non praebeant; nam cum significent: necesse est provideam, addendum esse par est, cui rei provideat necesse sit. Hoc obiectum, quod desidero latere puto in verbis ἀξία δέ μοι σέβειν. Nam si Hecubae v. 569 πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχημῶς πεσεῖν memineris, non recusabis, quin etiam nostro loco infinitivus σέβειν pendeat a verbis πολλὴν πρόνοιαν δεῖ μ' ἔχειν. Sensus conexum igitur hunc esse statuo. Admetus dicit: Feminam, quam attulisti, non recipere in meam domum possum; nam si hoc faciam, timendum est ne vituperer, quod uxorem meam prodidissem et a civibus et a coniuge ipsa mortua: attamen ut illam colam, semper mihi valde providendum est. At certam emendationem proferre non audeo; at ut melius perspicias, quem sensum his verbis inesse velim, non celabo, quae Euripidem scribere potuisse coniicio. καὶ τῆς θαούσης· ἀξίως δὲ νιν σέβειν ‖ πολλὴν πρόνοιαν δεῖ μ' ἔχειν.

Venio ad versus fabulae extremae 1102—1110 qui sic traditi exstant:

Αδμ. φεῦ
εἴθ' ἐξ ἀγῶνος τήνδε μὴ 'λαβές ποτε.
Ηρ. νικῶντι μέντοι καὶ σὺ συννικᾷς ἐμοί.
Αδμ. καλῶς ἔλεξας· ἡ γυνὴ δ' ἀπελθέτω.
'Ηρ. ἄπεισιν, εἰ χρή· πρῶτα δ' εἰ χρεὼν ἄθρει.
Αδμ. χρή, σοῦ γε μὴ μέλλοντος ὀργαίνειν ἐμοί.
Ηρ. εἰδώς τι κἀγὼ τήνδ' ἔχω προθυμίαν.

Αδμ. νίκα νυν· οὐ μὴν ἀνδάνοντά μοι ποιεῖς.
Ηρ. ἀλλ' ἔσθ', ὅθ' ἡμᾶς αἰνέσεις· πιθοῦ μόνον.
Αδμ. κομίζετ', εἰ χρὴ τήνδε δέξασθαι δόμοις.

Nauckius versus 1107 et 1108, Wheelerus 1104—1107 delevit; at nihil delendum esse videtur. Primum versum 1104 videamus. Dicit Wheelerus interpolatorem oblitum esse Admetum credere feminam illam servam esse, Euripidem hoc non oblitum, cuius essent v. 1043—1045. At haec verba, quid sibi velint omnino non intellego. Praeterea verba καλῶς ἔλεξας nullam aliam significationem habere posse profitetur quam his verbis interpolatorem testari velle se antecedentis versus paronomasiam probare. Wheelerus igitur non intellexit verba καλῶς ἔλεξας esse formulam blande recusandi, qua Admetus, cum beneficio sibi oblato uti nolit, gratias agit; similiter dicit Arist. Ran. 508 κάλλιστ' ἐπαινῶ, 512 πάνυ καλῶς 888 καλῶς. Quod si rectum est, non dubium mihi videtur, quin v. 1104 συννικᾷς in συννίκα mutandum sit; nam necesse est, si quid ab Admeto recusatur, etiam aliquid ab eo petitum sit. Sensus igitur versuum hic est: Utinam nunquam istam ex certamine reportavisses. Tum Hercules: At, quoniam vici, etiam tu victoriae meae particeps es. Tum Admetus: Benigne; at ista mulier abeat vel cum ista mihi rem nullam esse volo. Proximum versum 1105.

ἄπεισιν, εἰ χρή· πρῶτα δ' εἰ χρεὼν ἄθρει

ineptum esse dicit, sive ἄθρει, sive ὅρα scribimus. Nam versu demum 1121, ait, detrahit Alcestidi velum Hercules et Admeto faciem eius aperit rogatque, ut spectet. Nostro loco non secus agunt et loquuntur et Hercules et Admetus ac si nihil tale rogavisset. At hi loci videntur tantum inter se pugnare; nam illud ἄθρει vel ὅρα v. 1105 non ita intellegendum est, ut hoc verbo Hercules Admetum hortetur, ut Alcestidem adspiciat, sed ut videat vel secum reputet vel deliberet, num necesse sit istam feminam abire. Hoc sensu hic ἄθρει vel ὅρα usurpatos esse non eo, quo postea v. 1121. βλέψον usurpatur, docet versus 1106 responsum, quem versum Wheelerus sine ulla causa utpote arte Euripidea carentem vituperat. Neque minus falsum est, quod Wh. de priore versus 1105 parte ἄπεισιν, εἰ χρή dicit; nam his verbis non recedit a prece sua, cum dicit: Abibit, si necesse est; Nam Herculi persuasum est, nullam esse causam, quae necessario Admetum cogat feminam repellere. Ad hunc igitur versum respondet Admetus 1106

χρή, σοῦ γε μὴ μέλλοντος ὀργαίνειν ἐμοί

i. e. necesse est, eam abire, quia nolo fore ut tu mihi succenseas. Timet igitur Admetus, ne, si mulierem secum habeat, fieri possit, ut Hercules ipsi irascatur. Quid autem est causae, cur Herculem sibi irasci putet? Timet, ne, si mulierem uxoris suae simillimam in domum recipiat, ab illa non abstineat. Haec est causa, cur tam vehementer recuset, quin illa in domum suam veniat. Docent hoc v. 1064 et 1065 (μή μ' ἕλῃς ἡρημένον) v. 1098 et 1102. Hac re intellecta adstipulari non poteris Nauckio proximum versum 1107 damnanti, qui sic audit:

εἰδώς τι κἀγὼ τήνδ' ἔχω προθυμίαν.

Nam, si antecedentem versum sic, ut exposui, intelligimus, nil est, quod nos impediat, quominus, τήνδ' ἔχω προθυμίαν positum esse sumamus pro τοῦ ὀργαίνειν ἔχω προθυμίαν, id quod sensu carere Nauckius dicit. Tum enim bene sic sensus procedit: Cum rei cuiusdam haud inscius sim, id ipsum opto, ut causa tibi irascendi mihi sit. Dicere autem hoc potest, quia feminam, de qua agitur, mulierem Admeti esse bene scit Hercules. At ne sic quidem verbum κἀγώ, quod iam Nauckium offendit, ferri potest; nam Hercules Admeto non adsentiri vult, sed id optat, quod ille fieri non vult. Fortasse scribendum est: εἰδώς τι κάρτα τήνδ' ἔχω προθυμίαν valde vel vehementer opto id ipsum. Nunc demum Admetus, ubi ne hanc quidem causam apud Herculem quicquam valere vidit, concedit, quamvis invitus, quae ille petivit, se facturum esse v. 1108.

νίκα νυν· οὐ μὴν ἀνδάνοντά μοι ποιεῖς.

At hoc versu Nauckius sententiarum conexum turbari dicit. Eurip. Stud. II p. 83. Admet würde mit dem νίκα νυν sich für überwunden, seinen Widerstand für gebrochen erklären; hat er dies gethan, so kann er nicht, wie es im Folgendem geschieht, weitere Versuche machen, der Bitte des Herkules sich zu entziehen. Er will v. 1110 sich dazu verstehen, dass die Diener die Unbekannte in das Haus geleiten, dann fordert er den Herkules auf, es selber zu thun, endlich meint er, sie solle selbst hineingehen. Mit derartigen allmählichen Zugeständnissen verträgt es sich nicht, dass er sich vorher so gefangen giebt, wie die Worte νίκα νυν es besagen. Haec argumentatio probari non potest; nam verbis νίκα νυν concedit Admetus id, quod Hercules antea v. 1097 δέχου νυν εἴσω τήνδε γενναίαν δόμων petivit. Hoc, quamvis invitus, neque nihil aliud concedit. In sequentibus autem versibus id ipsum, quod iam concessum ab eo est, minime irritum facere vult, sed aliis novisque precibus obstat, recusat primum, quominus ipse sua manu mulierem illam in domum ducat, non recusat, quin vel ipsa domum intret, vel ab Hercule inducatur. Itaque his de causis hoc toto loco nihil expellendum esse puto. Sensum, qualem toti loco inesse volo, brevibus verbis complecti mihi liceat: Adm.: Utinam hanc feminam nunquam ex certamine attulisses! Herc.: At, quoniam vici, etiam tu victoriae particeps sis volim. Adm.: Benigne: at mulier ista abscedat. Herc.: 'Abscedet, si necesse est; sed antea vide, num necesse sit. Adm.: Necesse est; nam nolo fore ut tu mihi irascaris. Herc.: Cum cuiusdam rei non inscius sim, id ipsum valdeo cupio. Adm.: Vince igitur; at non mihi placent, quae agis etc.

Sed iam satis mihi verba fecisse videor, cur locos Euripideos, quos Wheelerus ut suspectos notavit, maximam partem iniuria Euripidi abiudicatos esse putarem. Restat, ut de eis locis nostrae fabulae agam, qui mihi certis de causis spurii videntur. Sunt enim in illa praeclara scaena inter Admetum et Pheretem patrem nonnulla, quae me offendunt. Dum enim corpus Alcestidis mortuae effertur, Pheres pater advenit dona ornamentumque uxori filii afferens. Ille filium alloquitur v. 614—628 hanc fere in sententiam: Venio,

mi fili, ut te in calamitate tua consoler; nam sapiente et bona uxore privatus es (nemo id negabit) at hoc, quamvis miserum, tamen nobis aequo animo ferendum est. Tum pergit v. 618—620.

δέχου δὲ κόσμον τόνδε καὶ κατὰ χθονὸς
ἴτω· τὸ ταύτης σῶμα τιμᾶσθαι χρεὼν
ἥτις γε τῆς σῆς προὔθανε ψυχῆς, τέκνον
καί μ' οὐκ ἄπαιδ' ἔθηκε κτλ.

Pergit igitur: accipe autem hoc ornamentum et i ad inferos; huius corpus colatur necesse est, quae pro tua vita mortem obierit neque me filio privaverit. Haec enim est simplicissima via interpretandi, ut et δέχου et ἴτω ad Admetum referamus, quem pater alloquitur. At, si ita est, cur hanc viam pater filium inire iubet? ut filius ornamentum acceptum secum ad inferos ferat ibique mortuae uxori adsignet? At adest in scaena corpus mortuae. Itaque non est verendum, ne quis haec verba ita intelligi posse sibi persuadeat. An ad δέχου et ἴτω subiectum Alcestidis supplendum est? Sed ne id quidem vere dici potest his de causis; nam versu 625 demum Pheres mortuam Alcestidem alloquitur: ὦ τόνδε μὲν σώσασ', ἀναστήσασα δὲ κτλ. Porro pronomen ταύτης v. 619 sensu careret. Denique particula δὲ, quae respicit ad antecedentem μὲν particulam, demonstrat, eum, quem Pheres verbis δέχου δὲ κτλ. alloquitur, eundem esse, quem antea allocutus est, i. e. filium Admetum. Denique mihi displicet pronomen ταύτης, cum per totam hanc scaenam, ubi de Alcestide sermo est, pronomen ὅδε usurpetur cf. v. 631. 35. 45. 51. Coniciendo his versibus mederi non poteris. Equidem delenda esse verba: καὶ κατὰ χθονὸς || ἴτω· τὸ ταύτης σῶμα Euripidemque id tantum scripsisse censeo:

δέχου δὲ κόσμον τόνδε· τιμᾶσθαι χρεὼν
ἥτις γε τῆς σῆς προὔθανε ψυχῆς, τέκνον, κτλ.

Admetus igitur dicit: Accipe hoc ornamentum; eam honore affici necesse est, quae pro te mortua est. Addita sunt verba a quodam, cui asyndeton nimis durum videbatur, qui que meminerat Admetum antea dixisse, se si Orphei vocem haberet, ad inferos descensurum fuisse cf. v. 358 et seqq.

Patrem filius acerbissimis verbis 627—672 repellit. Initium huius longioris orationis facile est. Dicit enim filius: Venisti a me ad hoc funus non vocatus, neque gratum mihi est, quod advenisti. Ornamentum istud illa nunquam induet; nam nihil tuarum rerum opus est ad eam sepeliendam. Eo tempore mecum dolere debebas, quo interibam; at tu recessisti aliumque iuvenem, quamvis ipse senex, mori passus es; nunc hanc mortuam lugere vis? Pergit tum 636—642:

οὐκ ἦσθ' ἄρ' ὀρθῶς τοῦδε σώματος πατὴρ
οὐδ' ἡ τεκεῖν φάσκουσα καὶ κεκλημένη
μήτηρ μ' ἔτικτε· δουλίου δ' ἀφ' αἵματος
μαστῷ γυναικὸς σῆς ὑπεβλήθην λάθρᾳ.

ἔδειξας εἰς ἔλεγχον ἐξελθών, ὅς εἶ
καὶ μ' οὐ νομίζω παῖδα σὸν πεφυκέναι
ἦ τἄρα πάντων διαπρέπεις ἀψυχίᾳ
ὃς τηλικόσδ' ὢν κἀπὶ τέρμ' ἥκων βίου κτλ.

Hi versus iam diu criticos offenderunt, neque iniuria; nam, si omnia genuina essent, Admetus diceret: tu igitur non pater meus eras neque mater, quae vocatur, me genuit sed ex serva genitus uxori tuae suppositus sum. At nullo modo, ut Nauckius aliique intellexerunt, fieri potest, ut Admetus, cum in patrem invehi eique turpissima opprobrio dare vult, dicat se ipsum non filium genuinum eius esse, sed nothum. Itaque facere non possum, quin eis adsentiar, qui hunc locum non recte traditum esse opinentur. Atque Badhamus [1]), quem Prinzius in editione sua sequitur, delet 636 – 641, Schenkl [2]) versus 637—642. Nauckius [3]) huic loco mederi conatur eo, quod versus 638 et 639 tantum expellendos iudicat reliquos versus defendens. Sed alia via hunc locum sanandum esse persuasum habeo. Nam unum, quantum video, ab omnibus viris doctis neglectum est idque gravissimum est. Admetus enim v. 641 - 643 patri summam ignaviam obicit, quia mortem pro se obire noluerit. Atqui notissimum est hoc ignaviae vitium libero inprimis viro Graeco indignissimum esse omnibusque temporibus a Graecis homines ignavos in numerum liberorum virorum non relatos esse. Quid? Admetum ira patris commotum, cum patrem obiurgaret, vel eo progressum esse, ut patrem non liberum sed servum habendum esse diceret, nonne summa cum probabilitate conicere licet? Hanc autem coniecturam certo documento stabilire licet. Pheres enim pater v. 675 — 79 se contra opprobria filii defendere incipit his verbis:

ὦ παῖ, τίν' αὐχεῖς, πότερα Λυδὸν ἢ Φρύγα
κακοῖς (?) ἐλαύνειν ἀργυρώνητον σέθεν;
οὐκ οἶσθα Θεσσαλόν με κἀπὸ Θεσσαλοῦ
πατρὸς γεγῶτα γνησίως ἐλεύθερον;

De sensu horum versuum dubitari nequit. Dicit: Quem, mi fili, te posse expellere putas Lydium an Phrygium servum argento a te emptum? Noscis me Thessalum patre Thessalo natum genuinum liberumque virum esse? In v. 676 pro corrupto κακοῖς exspectaverim δόμων. Sed quidquid illo loco fuit, id unum certissimum est, Pheretem his verbis vehementissime negare, se servum et non liberum virum esse. Profecto autem poeta eum hoc dicentem non induxisset, nisi filius in oratione antecedente ei tale opprobrium obiecisset. Nullus autem locus in tota oratione filii, qualis hodie exstat, est, ad quem haec verba revocari possint. Quam ob rem persuasum habeo in illis versibus 636—641, quos

---

1) Badhamus ep. Plat. Euthy. praef. p. XIV.
2) Schenkl Zeitschrift für österreich. Gymnasien 1868. p. 348.
3) Nauck. Eurip. Stud. II p. 66 et 67.

antea corruptos esse diximus, hoc opprobrium latere. Itaque versum 639 et 41 eiciendum, in versu 638 μ' ἔτικτε in σ' ἔτικτε et in versu 640 ὅς in ὅτ' mutandum esse puto. Euripides igitur scripsit:

οὐκ ἦσθ' ἄρ' ὀρθῶς τοῦδε σώματος πατήρ 636
οὐδ' ἡ τεκεῖν φάσκουσα καὶ κεκλημένη
μήτηρ σ' ἔτικτε· δουλίου δ' ἀφ' αἵματος 638
ἔδειξας εἰς ἔλεγχον ἐξελθὼν ὅτ' εἶ. 640
ἦ τἄρα πάντων διαπρέπεις ἀψυχίᾳ κτλ.

Sensus tum sic procedit: Tu igitur te non patrem in me praebebas, neque liberum sed servum te praestitisti; nam mori noluisti. Mutationes facillimae sunt; is enim, qui v. 639 inseruit, necessario illud σ' et ὅτ mutare debebat. Neque is, qui in universum sententiarum conexum recte restitutum esse statuet, his mutationibus offendetur. Ac vide, quam perspicua sit causa mutandi; nam interpolator versum 636 verbotenus intellexit hancque sententiam explanare studuit. Versus autem 641 plane superfluus, quippe qui inutili modo idem rursus dicat, quod iam v. 636 dictum est, suo loco non stat, quia v. 642 causam affert, cur filius patrem servum existimandum esse credat. Itaque delendus est idque recte fieri eo clarius elucebit, si perspexeris etiam v. 645—647

τοῦ σοῦ πρὸ παιδός, ἀλλὰ τήνδ' εἰάσατε
γυναῖκ' ὀθνείαν, ἣν ἐγὼ καὶ μητέρα
πατέρα τ' ἂν ἐνδίκως ἂν ἡγοίμην μόνην.

recte a Badhamio deletos esse. Nam verba τοῦ σοῦ πρὸ παιδός falso repetita sunt ex v. 649 ubi recte stant. Nam ignavum hominem Pheres se praebuit eo, quod quamvis senex recusavit quominus moreretur. Verba τοῦ σοῦ πρὸ παιδός causam afferunt, cur καλῶς mortem obierit, i. e. cum gloria et honore. Quam ob rem nullo alio loco recte stant nisi post v. 648.

καίτοι καλόν γ' ἂν τόνδ' ἀγῶν' ἠγωνίσω
τοῦ σοῦ πρὸ παιδὸς κατθανών, κτλ.

Id mihi gravissimum videtur. Quae praeterea contra hos versus proferuntur, premere nolo, quippe quae emendari posse mihi verisimile videatur. At apparet nunc, eundem esse, qui hos versus 645 et 647 et qui v. 641 interpolavit; exprimere voluit: puto me filium tuum non esse; nam tam ignavus fuisti, ut pro filio tuo mori nolueris. Itaque primam partem orationis Admeti v. 644 concludi puto, cuius sententiarum conexum sic repetere licet: Te, pater, neque vocavi, neque meo cum gaudio venisti neque ornamento, quod attulisti, utar (v. 629—631) Tum, cum interibam, dolori meo interesse debebas, at te recepisti aliumque mori sivisti (631—635). Hac autem re demonstrasti te non patrio in me animo esse teque non liberum sed servum esse; nam hominem summa ignavia te praestitisti eo, quod mori noluisti (636 – 644).

Ex altera parte orationis Admeti, quae a v. 648 usque ad v. 672 pertinet, Lentingius [1]) versus 651, 52 expellendos omnibus, v. 666—668 expellendos esse Badhamius [2]) plerisque viris doctis videtur persuasisse. Nauckius versum 668 tantum spurium esse iudicat. Versus 666—668 sic audiunt:

τέθνηκα γὰρ δὴ τοὐπὶ σ'· εἰ δ' ἄλλου τυχὼν
σωτῆρος αὐγὰς εἰσορῶ, κείνου λέγω
καὶ παῖδά μ' εἶναι καὶ φίλον γηροτρόφον.

Offendit eum, quod Admetus se φίλον γηροτρόφον uxoris suae nominat; id autem fieri non posse, quia Alcestis iam mortua sit. Postulat, ut is, qui se alius personae φιλ. γηρ. dicit, etiam re vera hoc munere fungatur eumque in senectute foveat. Sed hoc minime flagitandum esse censeo. Admetus, quamquam haud ignorat uxorem mortuam esse seque mortuae non φιλ. γηρ. esse posse, tamen hoc dicit, ut patrem senem laedat atque violet. Velim memineris verborum, quae Pheres v. 621, 22 dixit:

καὶ μ' οὐκ ἄπαιδ' ἔθηκεν οὐδ' εἴασε σοῦ
στερέντα γήρᾳ πενθίμῳ καταφθίνειν.

Sperat igitur Pheres fore ut filius secum vivat seque senem nutriat et foveat. Hanc igitur spem filius summa cum acerbitate fallit, cum dicit se alium, qui se servaverit, invenisse eiusque se filium et φιλ. γηρ. esse. Itaque nil video, cur haec verba non ab Euripide scripta esse putemus. Econtra libenter concedo versus 651 et 52:

κἀγώ τ' ἂν ἔζων χἤδε τὸν λοιπὸν χρόνον
κοὐκ ἂν μονωθεὶς ἔστενον κακοῖς ἐμοῖς.

eo loco, quo nunc stant, non recte stare. Turbant enim foede argumentationem Admeti, quae his remotis rectissime procedit. Affert enim Admetus causas, cur Pheres καλῶς mortem obierit. Primum, quia pro filio mortuus esset, deinde quia ei iam non diu vivendum erat, tum quia in vita omnia accepisset, quae virum beatum accipere aequum esset. Hanc cogitationum seriem male illi versus ad ipsum Admetum, non Pheretem pertinentes divellerent. Praeterea verbum μονωθεὶς explicatione eget, qua non eget v. 296 nostrae fabulae, ubi redit versus paullulum mutatus additis verbis σῆς δάμαρτος. Neque tamen mihi persuadere possum hos versus non euripideos esse, sc. fictos ex v. 295 et 96. Nam est alius nostrae orationis locus ubi perbene stant. Quomodo enim fieri posse putas, ut Admetus se μονωθέντα i. e. desertum vel relictum dicat, cum pater adhuc vivat? Nulla certe alia de causa, quam quia uxore patris culpa amissa nihil iam sibi rei esse cum patre vult. Hac ex ratione sequitur, ut versus 651 et 52 inserendi sint ante v. 666—68, ita ut sensus evadat hic: Si mortem obiisses, ego cum uxore vivere poteram neque mihi deserto lamentandum erat; nam tibi iam non amplius vivo, tibi mortuus sum.

---

1) Lentingius: epistola critica in Eur. Alcest. p. 55.
2) Badhamius l. l.

Examinemus porro versus antecedentes 662—665.

τοιγὰρ φυτεύων παῖδας οὐκέτ' ἂν φθάνοις
οἳ γηροβοσκήσουσι καὶ θανόντα σὲ
περιστελοῦσι καὶ προθήσονται νεκρόν.
οὐ γάρ σ' ἔγωγε τῇδ' ἐμῇ θάψω χερί.

Quid haec verba sibi volunt? Sensus versuum alius esse non potest nisi hic: liberos gignere iam non potes, qui te senem nutriant! At cur hoc Admetum dicere putas? Nihil aliud vult, quam novam afferre causam, cur Pheres καλῶς mortem obierit pro se. Dicere vult, Pheretem mori debuisse, quia non sperare poterat, se, si Admetus mortuus esset, cum ipse mori nollet, alios liberos geniturum esse. Absurdum igitur est, quod addit: οὐ γάρ σ' ἔγωγε τῇδ' ἐμῇ θάψω χερί. Haec verba tum tantum sensum haberent, si Admetus in versibus antecedentibus Phereti suasisset, ut alios liberos gigneret, i. e. si traditum esset v. 662 τοιγὰρ φυτεύων παῖδας οὐκ ἂν φθάνοις; itaque v. 665 delendus est; additus est ab aliquo, qui v. 662 falso intellexit, quasi ille versus adhortationem Pheretis significaret.

Denique videamus ea, quae hisce versibus antecedunt v. 658 - 661, quae sic tradita sunt:

οὐ μὴν ἐρεῖς γέ μ' ὡς, ἀτιμάζοντα σὸν
γῆρας θανεῖν προὔδωκας, ὅστις αἰδόφρων
πρὸς σ' ἢ μάλιστα, κἀντὶ τῶνδέ μοι χάριν
τοιάνδε καὶ σὺ χἠ τεκοῦσ' ἠλλαξάτην.

Verba ἀτιμάζοντα σὸν | γῆρας θανεῖν προὔδωκας aperte corrupta sunt. Versus, qui antecedunt, causam afferunt, cur Pheres καλῶς mortuus sit, nempe hanc: Me filium habebas ita, ut tibi timendum non esset, ne domum tuam alienis relinqueres diripiendam. Item versus, qui post v. 661 sequuntur, causam afferre vidimus, nempe hanc: Mori debebas, nam alios liberos gignere non potes. Itaque, cum v. 658 incipiat a verbis οὐ μὴν ἐρεῖς γε statuendum erit, in verbis corruptis latere aliquid, quod Pheres pro sua causa afferre possit, quodque his versibus Admetus refutare conetur. Hoc cum mihi persuasissem atque meminissem Pheretem v. 694 et seqq. filium ignaviae arguentem, quod non ipse mortuus esset, Admetumque se ipsum v. 954 et seqq. accusantem, haec corrupta verba hunc fere in modum emendavi:

οὐ μὴν ἐρεῖς γέ μ' ὡς ἀτιμάζω τὰ σοῦ
κοὐ τλὰς θανεῖν προὔδωκα σ', ὅστις αἰδόφρων κτλ.

Sensus tum hic est: Me filium habebas, ut domum non aliis relinquere deberes; neque dicere potes, me, qui semper pio in te animo eram, te non coluisse et eo, quod mori nolebam, te prodidisse atque huius rei te matremque mihi hanc gratiam retulisse. Quae si probaveris, hunc alterius partis orationis Admeti sensum habebis: Attamen cum honore mortem obiisses; nam pro filio tuo mortuus esses, tibique iam non diu vivendum erat (648 - 50); per totam vitam nihil nisi bonum tibi contigit; me filium et successorem regni habebas (neque dicere potes me te non honore affecisse vel te prodidisse) (653—661)

neque alios liberos gignere poteras, qui te senem alant; ego autem cum uxore beate vixissem neque desertus remansissem; nam tu mihi mortuus es. Atque, quia alium, qui me servavit, repperi, illius me filium et γηροτρόφον esse dico.

Hac praeclara inter Admetum et patrem scaena examinata duos locos additurus sum, qui mihi suspecti videntur. Admetus uxori, quae ab eo summis precibus petivit, ne se mortuam pio animo colere desineret neve aliam uxorem ipsius liberis iniquam duceret, haec respondet v. 328—330:

ἔσται, τάδ' ἔσται, [μὴ τρέσης· ἐπεί σ' ἐγὼ
καὶ ζῶσαν εἶχον] καὶ θανοῦσ' ἐμὴ γυνὴ
μόνη κεκλήσει, κοὔτις ἀντὶ σοῦ ποτε κτλ.

Verba, quae uncis inclusi, ab Euripide profecta esse non credo. Significant enim hoc: Nam ego et te viventem habebam et mortua uxor mea unica diceris. Sed haec omni sensu destituta esse nemo non videt; nam fortasse intellegere hos versus possemus, si ad ζῶσαν supplere possemus μόνην γυναῖκα. Id autem fieri posse nemo mihi persuadebit. Is igitur, qui haec inseruit, hanc fere his verbis inesse voluit sententiam: nam ego te viventem semper unicam uxorem habui et post mortem non aliter unica mea uxor eris. Haec autem sententia iam satis dilucide expressa est verbis: καὶ θανοῦσ' ἐμὴ γυνὴ | μόνη κεκλήσει. Addidit, qui verba καὶ θανοῦσ' per se satis perspicua explanare conabatur. Quomodo hoc fortasse a poeta fieri potuerit, docet locus Heraclidarum simillimus v. 558 et 59.

τιμιωτάτη
καὶ ζῶσ' ὑφ' ἡμῶν καὶ θανοῦσ' ἔσει πολύ·

Alter locus est 287—289. Alcestis moritura dicit:

οὐκ ἠθέλησα ζῆν ἀποσπασθεῖσά σου
σὺν παισὶν ὀρφανοῖσιν [οὐδ' ἐφεισάμην
ἥβης ἔχουσα δῶρ' ἐν] οἷς ἐτερπόμην.

In verbis traditis offendit primum graviter, illud ἐν οἷς, minime graecum. Homerus quidem saepius dicit τέρπεσθαι ἐνὶ φρεσίν vel κατὰ θυμόν; sed hoc prorsus alium sensum habet, quam noster locus; nam eae res, quibus gaudemus vel delectamur, explicantur vel dativo solo, ut apud Homerum τέρπεσθαι δαιτί, μύθῳ, γόῳ, δίσκοισιν et multa alia cf. Pind. Pyth. 2,74 ἀπάταισιν θυμὸν τέρπεται Aesch. Eum. 994 Sophocl. Phil. 458 Oed. Col. 1142 Eurip. Alc. 54 τιμαῖς τέρπεσθαι, vel participio verbi ut Eurip. Bacch. 321 τέρπεται τιμώμενος Phoen. 917 Androm. 1184. Porro sententia minus apta videtur. Nam, si quid video, dicere non poterat Alcestis, quod dicit: Ego sine te vivere nolebam cum liberis, neque iuventuti meae peperci. Poterat hoc tantum dicere: Ego nolebam vivere sine te cum liberis et nolebam iuventuti meae parcere. Accedit, quod verba tradita incertissima sunt; nam pro οὐδ' etiam ἀλλ' scribitur, δῶρ' in nonnullis codicibus omittitur. Itaque verba, quae uncis inclusi, tollenda esse censeo. His remotis sensus optimus est: At ego sine te vivere nolebam cum liberis orbis, quibus laetabar.

II.

De collocatione particularum τέ, καί, οὔτε, οὐδέ in fabulis Euripideis.

Particulam τέ, quae vel duas notiones vel duo enuntiata coniungere solet, aut post id verbum statim poni, quod cum antecedente verbo coniungit, aut post primum verbum enuntiati, quod adiungit, poni, notissimum est. At in tragoediis graecis nonnulla inveniuntur exempla, quibus multo liberiorem huius particulae collocationem a poetis tragicis admissam esse probari possit. Quod, quamquam a viris doctis in universum recte animadversum esse putandum est, tamen adhuc, quantum scio, neque in grammaticis libris, qui vocantur, neque alias certis exemplis confirmatum esse video. Itaque hac scribendi occasione oblata nonnulla huius usus exempla, quae mihi in legendo Euripide notaveram, congerere constitui.

Particula igitur τέ saepius post secundum vel tertium vel quartum verbum novi enuntiati ponitur. Luculentum exemplum praebet Iphig. Taur. 987 et 88.

δεινή τις ὀργὴ δαιμόνων ἐπέζεσε,
τὸ Ταντάλειον σπέρμα διὰ πόνων τ' ἄγει.

His in versibus iam editores eo, quod post ἐπέζεσε interpungunt, liberiorem collocationem statuendam esse concesserunt. Nam hoc loco fieri non potest, quin τὸ Ταντάλειον σπέρμα pendeat ex verbo ἄγει, quia ἐπέζεσε verbum intransitivum cum accusativo coniungi non solet. Aliud exemplum idemque certissimum praebet Alc. 852

εἶμι τῶν κάτω
Κόρης ἄνακτος τ' εἰς ἀνηλίους δόμους.

ubi nil causae est, cur non solita collocatio τῶν κάτω | Κόρης τ' ἄνακτος adhiberi potuerit a poeta. Neque minus certa mihi exempla haec videntur Hec. 807:

οἴκτειρον ἡμᾶς, ὡς γραφεύς τ' ἀποσταθεὶς
ἰδοῦ με κἀνάθρησον, οἷ ἔχω κακά.

Porro Helena 498. Electr. 487,

ποῦ ποῦ νεᾶνις, πότνι' ἐμὴ δέσποινά τε,

ubi post νεᾶνις interpungendum erit, cum verba πότνι' ἐμὴ δέσποινα vix disiungi ac separari possint. Porro Electr. 892 τὸν τῶν θεῶν τε τῆς τυχῆς θ' ὑπηρέτην. cf. praeterea Herc 132 (μὴ μέλλειν τ' ἐμοί). Iphig. Taur. 105. Iphig. Aul. 474. 920. 930. 969. Suppl. 357. 434. 693. Sed his locis, qui certi videntur, paucos addam, quibus dubitari posse videtur, num liberior collocatio ab Euripide admissa sit. Hec. 538—541 Talthybius dicit:

πρευμενὴς δ' ἡμῖν γενοῦ
λῦσαί τε πρύμνας καὶ χαλινωτήρια
νεῶν, δὸς ἡμῖν πρευμενοῦς τ' ἀπ' Ἰλίου
νόστου τυχόντας πάντας εἰς πάτραν μολεῖν.

Hoc loco mihi facilius videtur ita construere verba, ut port νεῶν v. 540 interpungatur

quam, ut post δὸς ἡμῖν interpungatur. Tria habemus enuntiata inter se per τέ coniuncta: γενοῦ ... λῦσαί τε ... δὸς ἡμῖν πρευμενοῦς τ'. Ars grammatica quidem non impedit, quominus verba λῦσαι et μολεῖν pendere putemus ex imperativo δὸς ἡμῖν. At mea quidem sententia infinitivum λῦσαι melius pro imperativo usurpatum credemus ea de causa, quia Achilles, quem Neoptolemus alloquitur is est, qui Graecos iam navibus redeuntes in patriam retinuit. Itaque melius videtur, si Neoptolemus a patre petit, ut ipse naves solvat.

Ion 309 quaerenti Creusae, quis ille sit, respondet:

τοῦ θεοῦ καλοῦμαι, δοῦλος εἰμί τ', ὦ γύναι.

Interpungendum videtur post καλοῦμαι, non post δοῦλος. Ion enim dicit: Filius dei esse dicor et eius servus sum. At si post δοῦλος interpungimus, prorsus alius sensus evadit, nempe hic: Servus dei esse dicor et sum, o femina. At illa interpretatio huius loci praeferenda est, quia v. 311 redeunt verba Λοξίου κεκλήμεθα, quae sine dubio respiciunt ad verba τοῦ θεοῦ καλοῦμαι. Discimus igitur aliquid novi ex hoc loco, Ionem, quamquam nesciebat et patrem et matrem, tamen dei filium nominatum esse a Delphis quia semper in templo versatus est.

Paulo minus dubius mihi videtur alius locus Orestis fabulae 895—897:

τὸ γὰρ γένος τοιοῦτον· ἐπὶ τὸν εὐτυχῆ,
πηδῶσ' ἀεὶ κήρυκες· ὅδε δ' αὐτοῖς φίλος,
ὃς ἂν δύνηται, πόλεος ἔν τ' ἀρχαῖσιν ᾖ.

Hic quaeritur, num πόλεος genetivus cum verbo δύνηται coniungi possit, ita ut διὰ κοινοῦ positum et ad δύνηται et ad ἀρχαῖσιν referendum sit. Invenimus sane locos nonnullos, quibus genetivus usurpatur ad locum significandum cf. Il. ο, 264 θέειν πεδίοιο χ' 26 ἐπεσσυμένον πεδίοιο. Od. γ 251 ἦ οὐκ Ἄργεος ἦεν Ἀχαιικοῦ; attamen talibus vel similibus locis non defendere poteris nostrum genetivum cum δύνηται coniunctum, idque eo minus fieri posse putabimus, si conferemus, quod Plato dicit: οἱ μέγιστον δυνάμενοι ἐν ταῖς πόλεσιν (Phaedr. 257 d.) et οἱ δυνάμενοι ἐν τοῖς πόλεσιν Protag. 317a. Porro genetivus, si sensum respicimus, multo melius ad ἀρχαῖσιν referri debet. Nam dicit poeta: Is vir praeconibus carus est, qui potentia valet et reipublicae praeest.

Iam videamus Supplices 211—213

ἃ δ' ἔστ' ἄσημα κοὐ σαφῆ, γιγνώσκομεν
εἰς πῦρ βλέποντες καὶ κατὰ σπλάγχνων πτυχὰς
μάντεις προσημαίνουσιν οἰωνῶν τ' ἄπο.

Hi versus sic in cod. B. traditi sunt. Si sic recte stant, habemus τέ post tertium vocabulum; sensus esset: ea, quae incerta et obscura sunt, cognoscimus ex flamma et ex visceribus et augures ex avibus nobis praedicunt. Hoc non dubium esset, nisi in cod. C pro σαφῆ traditum esset σαφῶς. Tum σαφῶς cum γιγνώσκομεν coniungendum esset, et participium βλέποντες ad μάντεις referendum esset. Sensus tum esset: Ea, quae incerta sunt neque dilucide perspicimus, nobis praedicunt μάντεις et ex flamma et ex visceribus et ex avibus,

ac tum collocatio particulae τέ non offenderet. Sic statuit Wilamowitzius in recensione Supplicum, quae inest Analect. Euripideis. At si artem grammaticam respicis, multo facilius βλέποντες cum γιγνώσκομεν coniungitur, quam cum μάντεις, quod sequitur. Praeterea mihi videntur homines eas tantum res augurari, quae eis obscurae sunt, non eas res, quas non satis dilucide intellegunt. Denique si ad rem ipsam spectas, cod. B. scripturam meliorem esse ex eo perspicere potes, quod etiam is, qui artem augurum non profitetur, ex flamma et visceribus videre potest, quid tempus incertum et futurum ferat, at ex avibus is tantum divinari potest qui artem augurum profitetur. His de causis mihi cod. B. scriptura verisimilior videtur.

Venio ad Andromachae v. 1096—1099:

κἀκ τοῦδ' ἐχώρει ῥόθιον ἐν πόλει κακόν
ἀρχαί τ' ἐπλήρουντ' εἰς τε βουλευτήρια,
ἰδίᾳ θ' ὅσοι θεοῦ χρημάτων ἐφέστασαν
φρουρὰν ἐτάξαντ' ἐν περιστύλοις δρόμοις.

Tria habemus τέ. Primum, quod post ἀρχαί positum est, conjungit verbum ἐπλήρουντ' cum eis, quae antecedunt. Proxima duo, quae post εἰς et post ἰδίᾳ stant, sibi respondent et coniungunt βουλευτήρια et ἰδίᾳ. Enuntiatum autem, quod sequitur, sine ullo nexu adiunctum est. Haec ita nullo modo ferri posse consentaneum est Atque Reiskius quidem, ut locum sanaret, mutavit secundum τέ in articulum τά. Haec mutatio mihi iam dudum necessario visa est; at tamen non sufficit; nam in hac scriptura inter se opponuntur ἀρχαί, quae in curiam conveniunt et thesaurorum custodes, ὅσοι θεοῦ χρημάτων ἐφέστασαν, qui praesidium collocant. At hoc a vero valde abhorrere videtur. Nam quis sibi persuadebit et magistratus et thesaurorum custodes hoc loco diversas personas ab Euripide cogitatos esse? Cur enim magistratus in curiam convenire dicit poeta? Simplicissimum certe est, si illae ἀρχαί eaedem sunt, quae φρουρὰν τάττουσι. Qua de causa coniectura abstinere non possum, versum 1098 spurium esse et additum esse ab aliquo, qui ἀρχαί explicare voluit. Hanc coniecturam fortasse eo confirmare licet, quod hic locus unicus quantum equidem scio, est, ubi ἐφίστημι coniunctum invenitur cum genetivo χρρημάτων. Alias ἐφίστημι, si significat „praeesse alicui" regit aut dativum, aut praepositionem ἐπὶ c. genetivo. Se ne eiecto hoc versu quidem omnia perbene stant. Nam deest adhuc medela illi vitio, quod verbum ἐτάξαντ', cum antecedentibus coniunctum nullo vinculo esse supra diximus. Id autem facillime efficimus, si pro ἐτάξαντ' scribimus φρουρὰν ἔταξαν τ'. Locus noster tum sic audit:

ἀρχαί τ' ἐπλήρουντ' εἰς τὰ βουλευτήρια
φρουρὰν ἔταξαν τ' ἐν περιστύλοις δρόμοις.

Sensus tum hic est: Neoptolemi adventu tumultus exoritur. Quam ob rem magistratus Delphorum in curiam conveniunt et praesidium collocant.

Sed haec hactenus; pauca addamus exempla collocationis liberioris particulae καὶ. In Hercule Lycus ligno collato Amphitryonem, Megaram eiusque liberos comburi iubet. Ibi legimus hos versus v. 243. 44.

βωμὸν πέριξ νήσαντες ἀμφήρη ξύλα
ἐμπίπρατ᾽, αὐτῶν καὶ πυροῦτε σώματα
πάντων κτλ.

Hoc loco dubium esse mihi non videtur, quin ἐπίπρατ᾽ non ad ea, quae sequuntur, referendum sit, sed tantum ad ξύλα, quod antecedit. Nam habet haec vox notionem „incendendi" non „comburendi", quae est propria verbi πυροῦν significatio. Neque persuadere mihi possum, Euripidem voluisse Lycum tanta crudelitate affectum describere, ut ministros corpora Megarae et aliorum statim incendere iuberet. Itaque sensus erit: Ligna collecta incendite et eorum omnium corpora comburite. Concedendum igitur particulam καὶ, nihil aliud nisi simplex „et" significantem secundo loco positam esse.

Pari confidentia alium locum Euripidis aliter interpretandum esse censeo, quam hodie plerumque fit. In Hippolyto enim Phaedra amorem confessa describit, quibus rationibus eam propulsare conata sit. Legitur v. 392 et 393 hoc:

ἠρξάμην μὲν οὖν
ἐκ τοῦδε σιγᾶν, τήνδε καὶ κρύπτειν νόσον.
γλώσσῃ γὰρ οὐδὲν πιστὸν κτλ.

Editores eo, quod post σιγᾶν non interpungunt, indicant sese putare τήνδε νόσον et ab σιγᾶν et ab κρύπτειν pendere ita, ut sensus sit: Incipiebam hunc meum amorem tacere et celare. Hoc, quamquam ars grammatica non impedit, ne σιγᾶν accusativum regat, tamen falsum est. Nam sensus esse debet: Incipiebam tacere et meum amorem celare. Nam aliter intellegere non possumus, quomodo fieri possit, ut Phaedra proximis statim versibus γλώσσῃ γὰρ οὐδὲν πιστὸν κτλ. linguam detestetur, quae non solum alienis hominibus sed etiam possessori maxima mala ferat. Porro Phaedra nostris verbis eandem mentis suae condicionem describit, quam Venus in prologo pinxit, cum diceret v. 39 et 40:

κέντροις ἔρωτος ἡ τάλαιν᾽ ἀπόλλυται
σιγῇ, σύνοιδε δ᾽ οὔτις οἰκετῶν νόσον.

Hic igitur versus, quem falsissime Wheelerus eiecit, docet etiam v. 393 σιγᾶν per se solum intellegendum esse et καὶ secundo loco ab Euripide admissum esse.

His duobus locis adicio unum versum Iphigeniae Tauricae. In illa enim fabula Pylades Oresti hoc dicit v. 675:

κοινῇ τ᾽ ἔπλευσα, δεῖ με καὶ κοινῇ θανεῖν.

Hic locus nullum alium sensum praebere potest quam: nam una tecum et huc navigavi et tecum moriar necesse est. At fortasse dixeris hoc loco καὶ sic usurpatum esse, ut „etiam" significet. Sed haec sententia confidenter repellenda est propter τέ, quod antecedit. Quod, si deesset et Euripides scripsisset: ἔπλευσα κοινῇ, δεῖ με καὶ κοινῇ θανεῖν, illud καὶ hunc sensum habere concedendum esset. Nunc, cum adsit particula τε, nihil aliud significare potest, quam „et". Habemus igitur καὶ post secundum vocabulum positum.

Alio loco dubitari posse videtur de collocatione liberiore huius particulae. Iphi-

gonia et Orestes consilio fugae inito chorum orant atque rogant, ne consilium regi prodat. Dicit Iphigenia v. 1063:

σιγήσαθ', ἡμῖν καὶ συνεκπονήσατε
φυγὰς κτλ.

Mihi post σιγήσαθ' interpungendum videtur, quamquam negare non possum fieri posse ut ἡμῖν cum σιγήσαθ' coniungatur, ut sit: pro nobis; at melius mihi cum συνεκπονεῖν cohaerere videtur, quod non reicies collato versu Ionis v. 850 ἐγὼ μὲν οὖν σοὶ καὶ συνεκπονεῖν θέλω || καὶ συμφονεύειν.

Hanc collocationem porro in Hippolyti versu 224 statuendam esse credo. Audiunt v. 223 et 224 sic:

τί ποτ', ὦ τέκνον, τάδε κηραίνεις;
τί κυνηγεσίων καὶ σοὶ μελέτη;

Non video, cur Wilamowitzius praecedente Dindorfio, hunc versum deleverit (Anal. Eurip. p. 219). Delet autem, quia integros nutricis sermones 212 -214 et 223—227 inter se permutare vult. Sed hac mutatione non opus videtur, neque Iahnii, qui 213—214 et 223 et 225—227 inter se permutat. Permutandi inter se sunt tantum v. 213. 214 et 225—227 omnibus aliis versibus integris relictis.

Huc fortasse referendus est locus Iphigen. Aulid. 393 et 394:

ἡ δέ γ' ἐλπίς, οἶμαι μέν, θεός
κἀξέπραξεν αὐτὸ μᾶλλον, ἢ σὺ καὶ τὸ σὸν σθένος.

Quae verba, si recte tradita sunt, non aliter intellegenda sunt, ac si dixisset: ἡ ἐλπίς, οἶμαι καὶ θεῶν τις ἐξέπραξεν αὐτό. Sed num hoc admitti possit, valde dubium mihi est, quamquam exemplis antea allatis καὶ sic positum satis excusatum puto. Offendit enim praeterea μὲν et θεός pro θεός τις vel θεῶν τις usurpatum. Itaque non repugnabo, si quis graviorem corruptelam subesse dicet. At ei, qui nihil mutandum censent, liberiorem particulae καὶ collocationem negare non poterunt.

Restat, ut pauca verba faciam de particula οὔτε vel οὐδὲ simili modo usurpatis Haec proponam exempla. Androm. 866—69 nutrix haec dicit:

ὦ παῖ, τὸ λίαν οὔτ' ἐκεῖν' ἐπῄνεσα,
ὅτ' εἰς γυναῖκα Τρῳάδ' ἐξημάρτανες
οὔτ' αὖ τὸ νῦν σοῦ δεῖμ' ὃ δειμαίνεις ἄγαν.

Hic sane collocatio particulae οὔτε recedit a solito; nam desideraremus: οὔτε ἐκεῖνο τὸ λίαν ἐπῄνεσα, οὔτ' αὖ τὸ νῦν. Neque minus certum videtur, quod legitur Electr. 1175 et 1176.

οὐκ ἔστιν οὐδεὶς οἶκος ἀθλιώτερος,
τῶν Ταντολείων οὐδ' ἔφυ ποτ' ἐκγόνων.

Par est, τῶν Ταντολείων non ad ea, quae antecedumt, revocari posse, sed artissime coniungendum esse cum verbo ἐκγόνων. Quae si reputaveris, non dubitabis, quin de uno Ionis loco idem statuendum sit, ubi v. 1135 et 1136 hoc legitur:

ἡλίου φλόγα
καλῶς φυλάξας, οὔτε πρὸς μέσας βολάς,
ἀκτῖνας οὔτ' αὖ πρὸς τελευτώσας λίαν.

Hic post βολὰς interpungendum est. Tentorium igitur, quod Ion aedificat, sic exstruitur, ut neque ad meridiem neque ad occidentem spectet. Coniungenda igitur verba οὔτε πρὸς μέσας βολὰς et ἀκτῖνας οὔτ' αὖ πρὸς τελευτώσας. Falsi mihi igitur ei videntur, qui cum Hartungio ἀκτῖνος pro ἀκτῖνας scribunt, ne collocatio particulae offenderet. Nam οὔτε etiam interdum secundo loco poni exempla antea allata satis docent.

Unus restat losus, quem mihi extremum proposueram, versus Electrae 609:

σὺ δ' · ἐκ βάθρων γὰρ πᾶς ἀνήρησαι, φίλοις
οὐδ' ἐλλέλοιπας ἐλπίδ' · ἴσθι μου κλύων

Haec respondet senex, qui Orestem infantem servavit, Oresti quaerenti, quid faciat, ut Aegisthum ulciscatur. Quaeritur, num vocabulum φίλοις cum eis, quae antecedunt, coniungi possit. Quid autem significare putas dativum φίλοις cum ἀνήρησαι coniunctum? An idem est, quod ὑπὸ τῶν φίλων? At id plane perversum esset. Neque dativum ethicum esse dicere poteris. Simplicissimum erit φίλοις ad ἐλλέλοιπας revocare, ita ut sensus evadat: Tu autem — funditus enim eversus es neque amicis spem reliquisti — peruade tibi, in te solo spem regni patrii recipiendi positam esse. Itaque mihi melius videtur, post ἀνήρησαι interpungere et collocationem particulae οὐδέ liberiorem non respuere. Haec sunt, quae de collocatione liberiore particularum τέ, καί, οὔτε, οὐδὲ afferre volebam. Scio perbene me non omnia huius liberioris usus exempla ex Euripide attulisse atque persuasum habeo etiam plura et meliora exempla quam quae proposui, inveniri posse. At ea, quae attuli, exempla videntur mihi demonstrare, has particulas interdum ab Euripide liberiore modo collocatas esse. Quod si viris doctis persuasero, valde laetabor. Sed non in Euripide consistendum est. Inquirendum erit etiam in ceteros poetas, quos hac libertate abstinuisse non credendum est. Nam ex tali inquisitione nos haud parvum fructum ad poetas et interpretandos et arte critica exercendos percepturos esse summa cum probabilitate sperandum est.
